



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia
Sacrarum Literarum Primarij Professoris. Tractatvs De
Legibvs, Ac Deo Legislatore**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1619

Cap. XIX. Vtrum acceptatio populi sit necessaria in lege ciuili vt perfectè
constituatur, & vim habeat obligandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94074](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94074)

9. Dico tertio, leges late à magistratibus inferioribus statim obligare, si non expriment aliam temporis determinationem. Ita Hoflien. in sum. tit. de confitut. §. quando. Abb. Deci. & alij in cap. 2. de confitut. Turrecremat. §. leges, post cap. in istis, d. 4. Syluest. ver. lex. q. 6. Angel. & alij; & Nauarr. cap. 22. n. 44. & dicto conf. 1. de confitut. q. 4. Rationes variae afferuntur, sed vnica est solida, quia circa has leges, & tempus obligationis earum, nihil est iure humano dispositum, aut limitatum; ergo tunc obligant, quando ex natura rei possunt, sed ex natura rei obligant statim, vt ostensum est; ergo. Primum antecedens ab omnibus supponitur vt indubitatum, quia dicta Authentica de solis legibus Imperatorum loquitur, & prater eam nullum tale ius inuenitur scriptum: cetera verò euidenter inferuntur. Vnde etiam sequitur, hanc obligationem quoad loca distantia intelligendam esse modo explicato, & ideo dicunt omnes Iuristae supra allegati, talem legem statim obligare presentes; respectu verò absentium tempus esse arbitrarium, quod maxime intelligi debet de illis absentibus, qui ex natura rei scientiam legis habere nō possunt in eodem momento, aut breuissimo tempore. Deniq; intelligendum hoc est, seclusa cōsuetudine in contrarium: nam vbi per illam introductum fuerit, vt tales leges non obligent, nisi post hoc, vel illud tempus à promulgatione, seruandum est, quia tunc iam habent limitationem à iure positiuo non scripto; hanc enim vim habet cōsuetudo: hanc tamen non est generalis, vbi ergo fuerit specialis, satis de illa constare debet.

10. Vnum verò superest hic dubium commune omnibus legibus, an & quomodo obligent ignorantes, postquam sufficienter promulgatae, & de se satis euulgatae fuerint. Supponendum autem est sermonem esse de ignorantia inuincibili: nā si ignorantia sit culpabilis, satis clara est obligatio. Non enim esset culpabilis obligatio legis, nisi lex ipsa iā obligaret ad notitiā sui habendam, ideo n. ita imputatur transgressio ignorantis, ac si sciret legem. Potest autē lex ignorari inuincibiliter, vt suppono ex 1. 2. q. 7. 6. & late tractat Castro lib. 1. de leg. ponal. c. 1. & 3. & Cordub. lib. 2. q. 4. Quando verò talis sit iudicanda ignorantia in foro conscientiae in dicta 1. 2. qualif. 6. & 7. 6. dictum est. Quando item praesumatur talis in foro externo, tractant Panormit. & Felin. in dicto c. 2. de confitut. Syluest. ver. lex. q. 7. Posita ergo hac ignorantia, omnes supponunt, ignorantem non agere contra legem, licet illam non obseruet, ita vt sit dicendus eius transgressor, vel vt talis puniendus.

11. Dubitant verò, an lege obligetur: nam quidam aiunt, tunc legem non obligare ignorantes, Innoc. Panormit. Felin. & alij c. 2. de confitut. Bald. in l. leges sacrasissima, C. de legib. Glossa in cap. 2. de rebus Ecclesiae non alienandis in 6. verb. haftenus, & Glossa etiam in data l. 6. sentit idem Caiet. q. 90. a. 4. & Castro supra. Fundatur hic loquendi modus, quia vt causa operetur, debet esse non solum in se sufficiens, sed etiam factis applicata; lex autem est quaedam causa, quae applicatur per notitiā; ergo quamdiu ignoratur inuincibiliter, non inducit obligationem. Contrario modo loquuntur Soto q. 1. 2. 4. l. 1. & Medin. q. 90. a. 4. vbi fauet D. Thom. ad 2. Fundatur, quia ignorans excusari dicitur à culpa; excusatio autem supponit obligationem: nam qui non obligatur lege, non dicitur excusari, vt laicus v.g. non dicitur excusari à recitandis horis Canonicis, sed omnino non teneri. Dissensio autem, vt dixi, est de modo loquendi. Et concordia esse potest, legem, quantum est ex se, obligare etiam ignorantes, si habeant omnia alia requisita, quae potest dici obligatio in actu primo; quae factis est ad propriam excusationem, & ita excludit exempli adductum: nam lex de recitandis horis Canonicis, etiam de se non obligat laicos. In actu verò secundo vera non exercet lex obligationem circa ignoran-

tes ex defectu applicationis, & hoc probat ratio alterius sententiae: imo hoc ipsum est, quod nomine excusationis significatur. Recte ergo dici potest lex obligare ignorantes quoad sufficiētiam: non verò quoad efficaciam. Quod significat Syluest. verb. lex, q. 8. & Angel. n. 12. & 14. & in re forte alij nō dissentiunt. Quod verò speciale in hoc habeant leges irritantes, vel ipso facto puniētes, aut reuocantes alias, inferius suis locis dicemus.

Lex obligat ignorantes quoad sufficiētiam, nō quoad efficaciam.

CAPVT XIX.

Vtrum acceptatio populi sit necessaria in lege civili vt perfecte constituatur, & vim habeat obligandi.

Hic esse potest vltima conditio ad valorem, & efficaciam legis humanae necessariae. Et circa illam variae sunt opiniones. Prima dicit, legem civilem non obligare si à populo non acceptetur, ac subinde acceptationem populi esse necessariam, vt lex habeat statum, & efficaciam legis. Haec videtur esse communis opinio Iuristarum in cap. 1. de treug. & pac. vbi Felin. plures refert, & maxime videtur suam mentem hoc modo declarare in n. 12. Idem Dominus in §. leges, d. 4. Couarr. lib. 1. variat. c. 16. n. 6. vbi plures etiam citat, & Nauarr. in sum. cap. 22. nu. 41. & Confil. 1. de confitut. q. 5. Idem sentit Iason in l. rem non nouam. §. paroni, C. de iudi. vbi Glossa, verb. pactu, idem indicat, licet magis de cōsuetudine loqui videatur. Ex Theol. tenet idem Maior in 4. distin. 15. q. 4. in argumentis contra secundam conclusionem, & Dried. lib. 1. de libert. Christ. cap. 9. docum. 2. Tenet etiam Armil. verb. lex. n. 11. Angel. num. 4. in fine, Syluest. etiam ibi q. 6. dicto 4. prius hoc absolute affirmat, postea vero ita rem inuoluit, vt vix mens eius percipiatur. Citari solet sententia Augustini in §. leges, dist. 4. Est tamen Gratiani asserentis, leges promulgatione constitui, firmari autem vsu nam hinc sequi videtur, accipere leges firmitatem, & vim obligandi ab vsu, & acceptatione subditorum. Consonat etiam l. de quibus. ff. de legib. dicens; Ipsae leges nulla alia causa nos tenent, quam quod iudicio populi receptae sunt. & Arist. lib. 2. Politici, cap. 6. in fine dixit, Lex nullam vim obligandi habet, nisi ex more.

1. Opinio, nō obligat legē si nō acceptetur à populo. Est quādam communis Iuristarum, Felin.

Couarr. Nauarr.

Glossa.

Maior.

Christ.

Angel.

Syluest.

Arist.

Alexan. ad Alexan.

Rebuff.

Glossa.

Couarr.

Nullam acceptationem populi melius, quam signū: an lex communi bono conueniat, Maior.

Castro. Driedo. Imperator non pot. ferre illius

Ratione potest dupliciter fundari haec sententia: nam quia ad legem potestas, & voluntas concurrere debent, potest acceptatio requiri, vel ex defectu potestatis ad legem aliter ferendam, vel tantum ex defectu voluntatis. Primum ergo fundamentum sit, quia in Principe seculari, vel Rege, non est potestas ad obligandum populum per legem, nisi ipsemet populus illam acceptet: hoc enim in dictis iuribus, & ab Aristot. significari videtur. Et ratio reddi potest, quia Magistratus civilis habet à populo potestatem, vt supra vidimus: ergo potuit populus illam non dare, nisi sub hac conditione, vt non obligaretur legibus Principis, nisi ipse etiam populus per acceptationem in eis consentiret: ergo verisimile est, sub hac conditione, & non aliter illam dedisse. Patet haec vltima consequentia; tum ex vsu antiquissimo populi Romani, quem referunt Alex. ab Alex. lib. 6. Geni. capit. 23. Rebuff. to. 1. Comment. leg. Galli in Praefat. Gloss. 1. numer. 12. Couarr. in Pract. quaest. cap. 1. tum etiam, quia ita videbatur conueniens ad commune bonum, quia nullum signum melius esse potest, an lex communi bono totius populi conueniat, nec ne, quam ipsius acceptatio, vel repugnantia. Atque hoc fundamento vtitur Maior supra, & hac ratione dicit, rempublicam esse superiorem Principe in his, quae ad supremum regimen spectant, vt est legislatio. Idem fere sentit Castro lib. 1. de leg. ponal. c. 1. Aliter verò explicat hanc impotentiam Dried. videlicet, quia Imperator non potest ferre leges bono communi contrarias, eo autem ipso, quod totus populus, vel maior illius

Alexan. ad Alexan.

Rebuff.

Glossa.

Couarr.

Nullam acceptationem populi melius, quam signū: an lex communi bono conueniat, Maior.

Castro. Driedo. Imperator non pot. ferre illius

Handwritten marginal notes in large letters, including 'LEZ', 'THIO', 'HULL', 'V 3'.

eges bono
communi
contrarias

illius pars legi resistit, non expedit illi talis lex, quia plus damni, & turbationis, quam commodi afferret, & ideo talis lex amittit vim obligandi, nec potest princeps illam firmare, etiam si vult.

3. Secundum fundamentum est defectus voluntatis: nam licet Princeps habeat potestatem, non presumitur habere voluntatem obligandi populum per legem, donec illam acceptet: effectus autem agentium non excedunt voluntatem eorum, & ideo supposita illa voluntate, certum erit, non oriri obligationem ante acceptationem, quia conditio non est impleta, & consequenter nec voluntas: sicut votum, vel pactum conditionatum ante impletam conditionem non obligat. Maior propositio, seu modus ille conditionatus voluntatis Principis asseritur ab auctoribus citatis, praesertim Felino, Nauarr. Couarr. & Dominico, & Gerson. tom. 3. tract. de vita spirit. lect. 4. Cord. 13. & licet ab eis non probetur, coniectura esse potest, quia lex debet esse communis regula; ergo credendum est, legislatorem nolle, vt habeat statum, & vim communis regulae; donec a communitate acceptata sit, quia non est verisimile, vt voluerit obligare, & cogere totam communitatem inuitam, aut aliquos in particularibus, dum alij maiori ex parte resistunt. Et ad hunc sensum potest etiam accommodari coniectura Driedonis, quia presumendum est, legislatorem nolle obligare, si lex non sit conueniens bono communi, si autem non acceptatur, magnum signum est, legem non esse conuenientem communi bono, ergo confirmatur tandem, quia consuetudo potest abrogare legem iam obligantem; ergo multo magis praenire, ne obliget, maxime, quia videntur populi in hoc iam quasi praescripisse, & ita acquisitum esse non parentibus legibus, donec acceptentur.

Felinus.
Nauarr.
Couarr.
Dominicus.
Gerson.
Corduba.

4. Opinio acceptationem non esse necessariam ad legis obligationem.

Turrecr.

Laurent.
Archidia.

Prapost.
Syluest.

Greg. Ego.

Medina.
Castro.

Greg. Ego.

Greg. Ego.

Greg. Ego.

Greg. Ego.

4. Secunda sententia extremè contraria est, acceptationem non esse necessariam ad legis obligationem, vel perfectam institutionem, sed potius esse effectum, qui sequi debet ex lege iam instituta sufficienter, & obligante. Hanc sententiam tenet aperte Cardinalis Zabarellus in proemio Clementi: verb. vniuersitati, quae est. 2. ait enim, non receptionem indistinctè nihil operari, nisi transeat in consuetudinem ad legislatorem non ignoratam, & Turrecrem. in §. deo, dist. 4. dicens cum Archid. & Hugone, legislatorem posse compellere subditos ad acceptandam legem, quia alias potestas eius esset illusoria, & in §. leges, eod. dicit, leges accipere ex moribus firmitatem stabilitatis, non verò firmitatem auctoritatis, vbi etiam refert Laurent. & Archid. dicentes, leges firmari moribus de facto: nam de iure factis firmatae sunt ab ipsa institutione. Idemq. sentit ibi Praeposit. & inclinatur Syluest. dicta q. 6. quatenus sentit, non receptionem non tollere legem, nisi per modum consuetudinis, quando Princeps scit, & tolerat. Tenet etiam Gregor. Lop. in l. 16. tit. 4. p. 1. n. 4. vbi plures refert, & dicit esse communem intentionem Doctorum loquentium in hac materia, & idem tenet Medina. Cod. de restit. q. 3. ad 7. & si attentè legatur, idem tenet Castro lib. 1. de leg. pen. nal. cap. 1.

Fundamentum huius sententiae est, quia lex sufficienter promulgata, & proposita ab habente auctoritatem, obligat ad sui obseruationem; ergo & ad sui acceptationem; ergo non est possibile, vt acceptatio sit conditio necessaria ad obligationem legis. Consequenter sunt clarae, quia fieri non potest, vt effectus causa sit conditio necessaria in ipsa causa, vel ad esse, vel ad operari, quia talis conditio necessario supponitur ad effectum. Et in praesenti declaratur, quia vel subditi tenentur acceptare legem ex vi, & obligatione ipsius legis, & sic euidenter est, acceptationem non requiri ad legem, sed sequi ex lege: vel est liberum subditis acceptare, & sic non obligabuntur ad legem acceptandam, cuius contrarium in primo antecedenti sumptimus. Probatur ergo illud antecedens, quia in supremo legislatore non deest potestas, & potest non

deesse voluntas, & iudicandum est, non deesse, quando absolutè fert legem; tantum enim ex his duobus principijs haec obligatio pendet, vt rectè fumebar contraria opinio. Vnde contra duo fundamenta eius probandae sunt duae partes assumptae.

In prima notanter dixi, in suprema leges, quia inferior Magistratus potest habere facultatem limitatam sub tali, vel tali conditione. Imò in aliquibus prouincijs, licet per Reges gubernentur, dicitur non esse translata in Regem absoluta potestas ferendi leges, sed solum cum consensu regni in publicis comitijs eius, vt dicitur esse in regno Aragoniae. Et tunc verum est, requiri aliquo modo acceptationem regni ad valorem legis; tamen etiam in eo casu non est illa acceptatio, de qua nunc tractamus, quia non est consequens ad institutionem & promulgationem legis, nec est à subditis, vt tales sunt, sed est consensus regni simul cum consensu Regis concurrens ad condendam legem, in quo regnum se habet tanquam affessor cum Rege ad legem instituendam, & postea sequi debet promulgatio, ac deinde acceptatio subditorum. Et ita cum proportione etiam in tali modo regiminis est verum, in supremo legislatore esse potestatem ad obligandum subditos, vt acceptent legem: nam ibi supremus legislator non est solus Rex, sed Rex cum regno. Vbi autem tale pactum non intercessit inter Regem, & populum, nec de illo potest vsu aut scripta lege constare, non est data Principi potestas cum illa limitatione, sed absolutè constituitur caput reipublice. Et ita seruat regulariter in perfecta monarchia, in qua suprema potestas est in Imperatore, vel Rege, vel quocumq. alio, qui in temporalibus non habeat superiorem: nam in illum transtulit populus suam potestatem absolutè, & simpliciter, vt ex ordinario modo regiminis constat, nec aliud verisimiliter affirmari potest, nisi vbi ex consuetudine confiterit. Idemq. est cum proportione in republica suprema, quantum ad Senatum, in quem est translata potestas absolutè, nisi de alia limitatione ex consuetudine, vel alio modo confiterit.

Sic ergo declarata illa pars facile probatur. Primò, Vbi cumq. regimen non est democraticum, populus transtulit supremam potestatem in Principem, siue ille sit vna persona, vt in Monarchia, siue sit consilium procerum, vt in Aristocratia, siue sit mixtum aliquod ex vtroq. vt est Dux cum senatu, vel Rex cum comitijs regni; ergo in his omnibus, is qui de facto supremam potestatem habet ad ferendam legem, habet etiam potestatem ad obligandum omnes de regno, vt illam acceptent. Probatur consequentia, primò ex illo Paul. Rom. 13. Omnia anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Secundo, quia alias inefficax valde esset illa potestas, & planè inutilis, si non posset cogere subditos ad acceptandam, & obseruandam legem. Tertiò, quia vsu constat Reges statim a lex sufficienter est constituta, promulgata, & proposita, punire transgressores, nulla populi acceptatione spectata; imò penes cogunt ad obseruandam, & acceptandam; hac autem correctio iusta est, vt constat, ergo supponit obligationem. Vnde licet fortasse fuerit consensus populi necessarius ad condendam legem, quando aliqua ex parte regimen reipublicae fuit democraticum: translata tamen potestate in verum monarcham, non est talis consensus populi necessarius, & consequenter nec eius acceptatio, si Princeps velit vti sua potestate. Imò si formaliter, & propriè loquamur, post legem absolutè constitutam ad habentem supremam potestatem, nunquam fuit noua acceptatio necessaria, sed in sola democratia contingebat, vt idem esset condens, & acceptans legem, & ideo simul fiebant.

Iam verò supposita potestate, quòd voluntas non desit, quando lex simpliciter fertur. Probatur primò à posteriori iudicio allato, quia Principes cogunt per poenam ad legis executionem, vt vni ipso constat.

Neq.

Neq; in principio quando lex fertur; audebunt subditi coram iudice excusationem asserere, quod legem non seruauerint, quia recepta non fuerit: nam hoc est, quod tunc agitur, & ad quod directè cogunt, & propter quod puniuntur, scilicet, quia illam non obseruant, & obseruando acceptant; neque alia praua acceptatio necessaria censetur. Secundo id constat ex vi verborum legis, quæ simpliciter sunt præceptiua: præceptum autem absolute latum nõ obligat si subditus velit acceptare: quæ enim esset hæc obligatio? sed absolute inducit necessitatem, teste Paulo Rom. 13. quia sufficienter indicat absolutam Principis voluntatē. Quam enim ipse non limitat, quomodo possunt subditi limitare? Tertio, si hæc potestas est in Principe, certè non est vana, nec superflua, sed propter vsum necessarium, aut saltem conuenientem reipublicæ; ergo quoties Princeps simpliciter legem fert, censendus est hac potestate vri, quando aliud non declarat, nec ex alijs coniecturis morali certitudine constare potest.

9. Quocirca posterior sententia simpliciter asserenda, & pro regula habenda est, quia solidū habet fundamentum, & planè dissoluit contrarium fundamentū, vt ex proximè dictis constat. Et hoc confirmari potest ex Authentica, vt factæ nouæ cōstitutiones, vbi post publicationem legis, & lapsum temporis designati præcisè exigunt obseruantia legis, nec de acceptatione fit mentio. Et idem in actu exercitio (vt sic dicam) seruatur in modo ferèdi singulas ciuiles leges. Deinde hoc confirmari potest ex dicto §. leges (quæuis non habeat canonicam auctoritatem) nã ibi dicitur lex infirmiter cum promulgatur: ergo si iam est lex, iam habet vim obligandi. Dicitur autem firmari non sola acceptatione, sed moribus, & vsu, non vt obligare incipiat, quia ipse vsus ex obligatione nascitur, sed vt stabilior sit, & non facilè abrogetur, vt supra tractum est.

10. Vnde consequenter dicendum est, post legem sufficienter promulgatam, & propositam pro eo tempore, pro quo potest obligare, peccare subditos, qui in principio illam non obseruant, solum quia illam acceptare nolunt. Hoc docent communiter Doctores, & sequitur necessariò ex dictis: nam lex obligat ad sui acceptationem: ergo qui legem statim violat, cōtra illam delinquit, & qui non acceptat, etiam in hoc legem transgreditur. Nihilominus tamen fieri potest, vt si illa non receptio, seu violatio legis, valde sit frequēs, & in maiori parte populi, & legislator sciens dissimulet, & non cogat ad obseruationem legis, lex facile desinat obligare: non quia acceptata non fuit, sed quia ex tacito consensu Principis reuocata fuit, in quo ferè omnes Doctores consentiunt, vt videre licet in Felino supra, & latius dicturi sumus, infra lib. 7. tractando de consuetudine, vbi etiam dicemus, quod tempus sufficiat ad reuocationem legis, & quæ scientia, tum in Principe, tum in subditis non seruantibus illam requiratur.

11. Hæc autem regula generalis pati potest nonnullas exceptiones. Vna est, si lex sit iniusta, sed hæc re vera non est exceptio: nam lex iniusta non est lex. Præsertim quãdo ex parte materia est iniusta, quia rem iniquam præcipit: tunc enim non solum ad acceptandū non obligat, verum etiam neq; si sit acceptata. Quia non solum non tenentur subditi acceptare illam, verum etiam non possunt, quando est clarè, & manifestè de re iniqua. Quando vero tantum est iniusta respectu subditorum, quia illis infert grauiorem iniuriam, etiam si ab eis sine peccato seruari possit: tunc etiam non obligat, vt acceptetur, tum quia excedit potestatem legislatoris, tum quia nemo patiens iniuriam per legem, potest per illam obligari. Imò etiã si subditi acceptent, non obligabuntur lege, vt lex est: an vero possint obligari, vel per modum pacti, aut promissionis, vel donationis, aut tandem præscribere Suarez de Legib.

tionis, quæ alio est alterius loci, quam fortasse attingemus in sequentibus.

Alia exceptio est, si lex, quamuis non sit iniusta, sit tamen nimium dura, & grauis, & talis communiter à populo, seu republica iudicetur: tunc enim verifimile videtur, non obligare populum ad acceptandū, nec peccare eos, qui incipiunt non seruare legem. Quia tunc verifimiliter præsumitur, non esse latam legem illam à Principe cum intentione absolute obligandi, sed solum experiendi, quomodo talis lex à populo recipiatur. Vnde etiam subditi videntur, simili intentione posse incipere non seruare legem, ne sibi grauiamen inferant, vel certè vnusquisq; poterit licite expectare, in quam partem communitas populi inclinet, & interim non seruare legem. Quæ exceptio est probabilis, præsertim vtendo in hoc sensu priori sententia, quia saltem sub hoc prætextu videtur multum vsu recepta. Tamen in rigore iuris aliud videbatur dicendum, quia si lex censetur ita dura, vt excedat potestatem, iam est iniusta, & procedit prima limitatio: si autem illa difficultas semper est intra latitudinem iustæ legis, videtur parendum legi, iuxta illud Vlpiani in l. prospexit. ff. qui, & à quibus. Quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est. Nam licet durum sit superioris mandatum, obediendum est, vt dixit Glossa in capit. ex parte, 2. de offic. delegat. Quapropter in huiusmodi casu consultius erit instare coram Principe, vt legem auferat, vel moderetur, interim seruando illam, si tempus vrgeat, & Princeps interdum tenebitur conuiuere, si tamen in sententia persistit, seruanda est lex, & acceptanda, quia in rigore supponitur esse valida, cum non supponatur iniusta.

Tertia exceptio esse potest, si de facto maior pars populi non seruat legem: nam licet forte illi peccauerint, qui inceperunt, & qui primum sequuti sunt: tamen postquam res ad eum statum peruenit, vt de facto à maiori parte non seruetur; tunc alij sine peccato poterunt maiori parti conformari, & excusari, licet forte lex nondum plene reuocata sit, quia pro tunc nõ possunt pauciores commode seruare legem, & habent commodam causam excusationis (vt Nauar. ait) quia obseruantia priuata talis legis iam non pertinet ad commune bonū, nec videtur velle Princeps obligare vnum, vel alium, quando communitas non obseruat legem. Verum tamen hoc etiam indiget magna moderatione, alioqui multæ leges humane non obligarent timoratos, & iustos, quia maior pars reipublicæ eas non seruat: quod absurdissimum esset: solum ergo potest hoc habere locum, quando non solum non seruat lex à maiori parte, sed etiam eius obseruantia perturbationem generat in republica cum periculo seditionis, vel scandali: tunc enim merito excusabuntur particulares persone, quia iam talis obseruantia non esset vtilis communi bono, & Princeps ipse tenebitur tunc legem tollere, saltem propter maiora mala vitanda. Quando vero censenda sit lex derogata per hanc subditorum resistantiam: dicemus commodius in libro sequenti capit. 16. quia in hoc communis est doctrina vtriq; legi canonice, & ciuili.

12. Prima exceptio in dicta regula, si lex sit nimium grauis, licet non iniusta.

13. Tertia exceptio, si de facto maior pars populi non seruat legem.

Non videtur velle Princeps obligare vnum, vel alium quando communitas non obseruat legem, & datur commodam causam excusationis.

CAPVT XX.

Vtrum intentio legislatoris, seu ratio legis sit intrinseca forma eius.

Explicuimus ea, quæ externam formam legis cernere visa sunt, superest dicendum de his, quæ ad formam eius internam, & quasi spiritualem pertinent: sic enim duo in lege esse distinguenda supra posuimus. Sumiturq; ex communi modo loquendi Iuris peritorum, distinguunt enim in lege verba, & materiam legis, & primum dicunt esse quasi materiam, & corpus legis: secundum esse spiritum, & animam

Handwritten notes on the right margin, including 'FZ', 'OTIO', 'HIVIL', and other illegible characters.